


36

01

A

6631





DE
MORBO NIGRO
HIPPOCRATIS

14

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. SEPTEMBRIS MDCCLXXXVI.

SVMOS DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBlice DISSERET

AVCTOR

IOSEPHVS MARCVS IACOBSON,

BEROLINAS MARCHIVS.



TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.



DE
MORBO NIGRO
HIPPOCRATIS

P. PETRO IMMANUEL HARTMANN

D. SEPTEMBRIS MDCCXXXVI.
SUMMO DOCTORIS MEDICI HONORE

AVCTO
IOSEPHUS MARCUS JACOBSON

FRANCIAD VADVM
E. TYPOGRAPHO WINTERRIANO

V I R O

EXCELLENTISSIMO ATQVE

DOCTISSIMO,

BENIAMIN DE LEMOS,

MEDICINAE DOCTORI CLARISSIMO,

ET NOSOCOMII IVDAICI BEROLINENSIS

MEDICO LONGE MERITISSIMO,

EAVTORI SVO

OPTIMO ET BENEFICENTISSIMO,

VT V
VENERATIONIS ET OBSERVANTIAE

PUBLICVM QVODDAM

DOCUMENTVM EXSTARET,

COMMENTATIONEM

HANC ACADEMICAM

OBSEQVIOSISSIME

D. D.

AVCTOR

IOSEPHVS MARCVS IACOBSON.



§. I.

Dum de morbo nigro Hippocratico commentari instituo, lectorum omnino interest, ante omnia accuratius intelligere, quamnam huic voci vim subiciam. Si quis ergo, post atrociam ventris tormina aut grauissimos intestinorum cruciatus, siue totum occupauerint abdomen, siue singulares tantummodo eiusdem partes, et siue per intervalla accesserint, siue durauerint indefinenter, inter extremam infirmitatem et neruorum debilitatem, et intercurrentia animi deliquia, cum molestissimo nisu euomit spissam, tenacem, nigramque, atramenti aut fuliginosae picis haud dissimilem, materiam, itemque non nunquam sanguinem densum, viscidum, si nulloque aterrimum, mox grumosum, mox in maiores particulas coactum, nec non per inferiora idem corruptum magma, foetore haud raro putrido, im-

mo cadaueroso, infectum, ex ano eiicit: is profecto *nigro* laborare dicitur *morbo*; cui ab HIPPOCRATE cognomen adhaesit, quod immortalis hic vir eundem, eiusque symptomata, primus omnium accurate descripsit a).

§. II.

Interim pro aegrotantium diuersitate diuersus quoque his in symptomatibus successione aut complicationis deprehenditur ordo. Quippe aliis, hoc morbo adfectis, statim ab initio simul cum intolerabilibus doloribus, praecordiorum anxietate, multiplicique aerumna, summa imbecillitate et nervorum infirmitate, animique deliquiis, superueniunt istae supernae infernaeque aterrimae deiectiones. Alii contra eiusdem generis aegri in has demum incidunt, si diu satis iam diuersi gradus atque vehementiae tormina intestinalia, praecordiorum angustias, debilitatem maximam, coniuncta aut non coniuncta animi defectione, sustinerunt.

§. III.

Sed inter ipsos quoque dolores, qui dictas nigrae saburrae per superiora aut inferiora reiectiones aut sequuntur, aut comitantur, magnum omnino interest discrimen: siue vehementiam constantiamque spectes, siue ipsas partes adfectas. Si enim ad *prius* attenderis, erunt hi cruciatus aut intolerabiles fere, vel mediocres; aut continui et constantes,

a) In libro II. *de morbis*, mox sub finem; pag. 486. edit. Foëtan. Genouens. c103c1vii. in fol.

tes, vel remittentes et per certa interualla recrudescentes. Si *posterius* vero spectaueris, ad ipsas partes, quae maxime et potissimum dolent, attendi oportet. Hinc aegrotantes mox de molestissima conqueruntur cardialgia, mox de colicis doloribus, aut vniuersum abdomen, aut certas tantum eiusdem regiones, verbi causa, hypogastricam, umbilicalem, hypochondriacas, lumbares, tractumque vertebrarum dorsi, occupantibus: ad quos saepe numero inanes accedunt tenesmi.

§. IV.

Singula autem haec symptomata vna cum exquisitis anxietatibus diuerso tempore aut superueniunt, aut, si iam adfuerint, saltem exacerbantur; praesertim post alimentorum adsumtionem, aut dum aluum leuare nititur aeger: siue tunc niger ille vomitus et eiusdem generis diarrhoea succedat, siue quiescat. Quibus interdum molestissimus variae vehementiae et durationis singultus iungi solet.

§. V.

Fieri autem plerumque animaduertimus, ut ii, quos adficit pessimus hic morbus, aut continuo fere, aut saltem versus tempus accessionis adstricta laborent aluo, simulque ventriculi et intestinorum a flatibus distensione et anxietate, borborygmis, ructibusque vexentur. Horum nonnulli ciborum nihil appetunt, alii mediocriter, alii denique iusto nimis et voraciter: quae singula potissimum vacuo ventriculo accidere solent; sicuti iam pridem rectissime obseruauit HIPPOCRATES.

§. VI.

§. VI.

Praeter ea vero, quae haecenus sigillatim recensuimus, huius morbi symptomata, eadem haec aut comitantur, aut saltem, tanquam effectus, presso insequuntur pede, extremorum artuum algores; cum anxio et frigidissimo sudore, debilique et vix tactui manifesto arteriarum pulsu. Ceterum bina haec, postremo loco nominata, symptomata sub morbi initium absunt: in summo vero eiusdem adulti gradu atque incremento nunquam deesse solent, sed semper nigrarum istarum excretionum, quas diximus, sunt comites. Vnde infirmitas viriumque iactura adeo augetur, vt animus identidem fere deficiat, aegerque, mortui instar, algeat palleatque, toto tremat corpore, vbique frigido viscidoque sudore, summas inter anxietates, perfusus. Quam primum vero aterrima illa colluuius superne inferneque eici definit, cessant quoque animi defectioes et reliqua symptomata. Sola supermanet magna virium imbecillitas et non superanda animi deiectionio: quacum deinde externi habitus ominosa species, carnosarumque partium macies sensim coniunguntur.

§. VII.

Inter constantia et essentialia, vt vulgo dicuntur, huius morbi symptomata *febrem* numerari nequam oportet. Si adest, praeter naturae ordinem et consuetam morbi indolem accessit, a sola reliquorum symptomatum vehementia solummodo excitata. Animaduertes tunc arteriarum ictum debilem

bilem tamque celerrimum, ut pulsum seriem numeris definire nequeas. Interim accidit interdum, auctore et obseruatore celeberrimo HOME, ut hoc in morbo arteriae duro et pleno impulsu micent; forte a subnata inter haec interna quadam inflammatione. Frequentius vero incidit ille, quem descriptissimus, pulsus debilis, paruus, immo minimus, et tactui non manifestus, inaequalis, tremulusque: quem extrema imbecillitas, ut recte censuit illustris TISSOT, producit.

§. VIII.

Diro hoc morbo defunctorum cadauera, si explorantis medici cultro anatomico sunt subiecta, in plerisque abdominis visceribus, iis praesertim, quae peritonaei sacco includuntur, grauiora vitia conspectui obtulerunt. Scilicet in ventriculo, hepate, splene, mesenterio, pancreate, et ceteris deprehenderunt anatomici tumores, infarctus, scirrhos, et vlcera, saepius tam late per internam adfectorum viscerum texturam serpentina, ut totum eiusmodi viscus molle, rarum, et a leui digitorum impulsu friabile esset, effluente interim cruore resoluto, putrido, et foetente: id, quod in liene potissimum et prae reliquis frequentius est obseruatum. Ad haec venae mesaraicae, omnesque ceterae, quae sanguinem ad portarum venam reuehunt, a contento sanguine turgefacto mirifice tumuisse sunt visae.

§. IX.

Sed instituti nostri porro refert, ut ad indagandas huius morbi causas progrediamur. Quae

B

dum

dum instituimus, breuiter simul varia ista attingemus synonyma, quae huic morbo passim sunt indita; quoniam pleraque ex causis, a quibus iste ortus putabatur, sunt desumpta. Apud nonnullos scriptores medicos *fluxus splenici* nomine niger hic morbus designatur. Quippe ea erant in sententia hi viri, defluere ex liene, quidquid atrae et graucolentis materiae hoc in morbo supra et infra expellitur. Celeberrimus FRIDERICVS HOFFMANNVS, a primario symptomate huic morbo saepe *secessus nigri cruenti* cognomentum impertit. Cum cholera facile confundi posset; quoniam ista quoque haud adeo dissimiles deiectiones excitat: nisi eadem plerumque epidemici esset generis, hominibusque cholericis familiaris; noster vero morbus non, nisi sporadice fere, et in aegrotis incideret, quos, ob temperamenti melancholici rationem, tardae, sed eo constantiores et profundiores, animi adfectiones affligerent.

§. X.

Sunt porro, qui ad haec alio sub nomine praesentem, de quo differimus, morbum descripserunt. Verbi causa, FELIX PLATERVS, DANIEL SENNERTVS, et LAZARVS RIVERIVS, iis locis, quibus hanc materiem suis in scriptis pertractarunt, *vomitus cruenti nigri* nomine sunt vsi. Neque ab his plurimum dissentit vir sua aetate celeberrimus, GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, cum tota suorum discipulorum cohorte: ex quorum numero inprimis MICHAEL ALBERTI vomitum hunc cruentum

entum nigrum inter sola, sed infaustissima, symptomata haemorrhoidum suppressarum, sed retrogradarum et inopportunos exitus quaerentium, refert, adeoque morbum nostrum nigrum solis morbis haemorrhoidalibus accenfere videtur.

§. XI.

Fuerunt, post HIPPOCRATEM, celeberrimi quidam et magni nominis viri, HERMANNVS BOERHAAVE, GERARDVS L. B. van SWIETEN, IOANNES BAPTISTA MORGAGNI, et ex nuperrimis CHRISTIANVS GOTTLIEB SELLE, qui atrae bili inter huius morbi causas principatum concesserunt. Verum enim vero, quo minus cum his consentiamus, sequentibus inducimur argumentis. *Primo* enim saepe ex certis phaenomenis praesentiam atrae bilis coniecimus, sine excrementorum tamen nigrorum deiectionibus. *Dein* tanta saepius hoc in morbo nigerrimae materiae supra infraque eiicitur copia, vti clarissimi viri, TISSOT et KAEMPF, obseruarunt, vt eidem suppeditandae atrae bilis, quantaquanta est, nequaquam sufficiat. *Tum* etiam bilis neque tam cito, neque tam facile, in putrilaginem conuerti potest, quam fieri omnino oporteret, si, breuissimi temporis spatio interiecto, excretarum fecum copiam et foetidissimam indolem computemus. Celeberrimi denique SELLII sententia, quam in *medicina clinica* proposuit *b)*, explanationem certam et indubiam admittere mihi non videtur. Quo enim modo ex impuris, quae in nigro

B 2

b) Pag. 494. *edit. recens.*

gro morbo deprehenduntur, deiectionibus absolute euiceris, has omnes bilioso deberi inquinamento, ipsamque huiusmodi aegrotantium bilem a certa quadam, non tamen definita, concurrente nervosi systematis in ipsam actione atro tingi colore. Tametsi enim ambabus, ut aiunt, manibus concedamus; animaduerti saepe numero phaenomena vehementissimorum nervosi contextus irritamentorum, in bilis colatoria singulariter agentium; verbi causa, in capitis laesionibus, quas, haud raro spasticae pororum bilis secretoriorum constrictiones, enatusque inde icterus, et aliae infimi ventris afflictiones insequuntur: tamen haec oninia ad solam contractam bilis acrimoniam, in nervos agentem, merito referri oportere, liquido apparet. Eadem quoque de causa mutuam alternamque nervorum in bilem, et huius in nervos, minime negamus actionem: quod illam exortae in hepate, quippe viscere secernendae bili destinato, mutationes, animi grauiore adfectus infecutae, luculenter demonstrant; hanc vero varii morbi nervosi, exempli gratia, morbi epileptici, conuulsiui, soporosi, et ceteri, a praeter naturam mutata bilis natura atque indole passim excitati. Qui autem fiat, ut ab huiusmodi actione nervorum in bilem eiusque colatoria huius ipsius color atque copia adeo mirifice et supra fidem mutetur aut augeatur, quis explicare audeat?

§. XII.

Pathologi nigrum hunc morbum, sicut ceteros alios, in idiopathicum et symptomaticum distinguunt.

guunt. Si, quod saepe accidit, *idiopathicus* fuerit, adeoque morbus primarius, secundum TISSOTI obseruationes, minus periculi alit, nec funestum ominatur exitum. Ad quod igitur omnes medentes, in statuenda prognosi occupatos, attendere oportet.

§. XIII.

Contra ea haud infrequenter quoque idem hic morbus *symptomaticus* deprehenditur; si forte ab hepatis, lienis, ventriculi, intestinorumque obstructionibus infarctibusque originem deduxerit suam. Sicubi ergo huius generis hic morbus desinenti alii morbo superuenerit, merito ominosum lethalis exitus erit signum; ex HIPPOCRATIS effato, adfirmantis: eos postero mori die, qui, si ex acutis chronicisue morbis aut alia qualicunque causa valde debilitati sunt, atram bilem aut quamlibet materiem, nigri sanguinis similem, eiciunt.

§. XIV.

Sed ab externis quoque varii generis violentiis, corpori humano quomodocunque illatis, niger enasci potest morbus: verbi causa, a vehementi, abdomini impactu, ictu aut impulsu; ab eiusdem forti compressione aut concussione; ab intentioni nisi sub grauiorum corporum eleuatione; praesertim si inconsumtae et naturali ordini inconuenientes vaforum inde accesserint expansiones aut ipsae demum disrutiones. Pro diuerso dein maiore aut minore temporis interuallo, ex quo violentia haec
illata

illata est, sanguisque stagnans breuius diutiusue sub-
stitit, subsequentes euacuationes aut fluidiorem,
aut spiffiorem corruptioremque cruorem producit c).

§. XV.

In harum porro caussarum numero, quae nig-
rum morbum, tanquam symptoma, producant,
non omitti debent ventriculi intestinorumque laesio-
nes et vulnera; diu et temere adsumta draastica aut
venena, chemico aut mechanico irritamento agen-
tia; itemque hirudines forte deglutitae. Ab his
omnibus enim cum intestina aut constanter, aut sal-
tem saepe repetitis modis, ad largas incitentur ex-
cretiones, fieri non potest, quin eadem exinde ni-
mium relaxentur, ipsorumque vascula sanguifera ab
irruente copiosiori cruore, si non rumpantur, sal-
tem ita distendantur, vt osculis elabi sanguis, et post
variā moram mutatus, spissus, corruptusque eici
possit.

§. XVI.

Nec acrioris cuiusdam materiae metastases,
ad viscus quoddam abdominale directas, ex harum
caussarum censu excludi oportere, sequens nos do-
cuit exemplum: in quo repulsa forte quaedam acri-
monia in liene decubuit, ibidemque haesit; donec,
obstructione tandemque suppuratione enata, tantum
intumesceret hoc viscus, vt, coalitu eiusdem cum
ventriculo antea absoluto, ruptoque vlceroso puris
sacco, supernis infernisque viis sanguis ater, piceus,
foe-

c) Confer FRIDERICI HOFFMANNI *dissert. de morbo nigro.*

foetensque exiisse fit visus. Sed, lectorum pace, integram recensebo historiam. Vir quidam, sartoris opificio deditus, cum vita diuturna sedentaria humorum dyscrasiam atque acrimoniam, nescio quam, sibi conciliasset, ab impurorum horum humorum decubitu ad pedes in oedemata incidit: quae, quod nullius medici cura requirebatur, neglecta et male tractata, tandem in ulcera sordida atque phagaedonica sunt permutata, tenuem et acrem saniem plorantia, pedibus inter haec magno duroque tumore adflctis. Haec mala postquam aliquot durauerant annos, tandem celebris quidam medicus in consilium est vocatus. Atque hic ante omnia, vt diurnam humorum dyscrasiam emendaret, vsum antimonialium et decocti lignorum praescripsit: quo id effectum est, vt ulcera sua sponte coalescerent, relicto tamen pedum sat insigni duroque tumore. In dictorum igitur medicamentorum vfu persistere aegrotum iussit medicus, addiditque extrinsecus applicanda efficacia resoluentia: verbi causa, balnea vaporosa ex spiritu Mindereriano, lotiones cum spiritibus resoluentibus camphoratis, et fomenta ex decocto corticis Peruuiani et globulorum martialium. Quo sub vfu et tumor, et durities pedum, imminui quidem coepit: contra ea vero subortus est in sinistro hypochondrio dolor, cum appetitus ciborum iactura, et superueniente mediocri febre. Haud improbalis erat coniectura, subesse hic viscus quoddam induratum, vnde simul flatuum collectiones intestinorumque spasmi orirentur, tanquam causae paullo ante dictorum phaenomenorum. Proinde data

data sunt rhabarbarina, salibus mediis iuncta: a quibus quidem alui solutio successit, sed nullum morbi levamen. Sola cessavit febris: quoniam autem reliqua persistebant, quae diximus, symptomata, eorundem origo ad laesam et depravatam ventriculi digestionem est relata. Cui tollendae per satis longum tempus opposita sunt extracta amara, anodynis remixta, et inprimis aëae foetidæ additione aucta. Ex improviso autem aeger vesperi de nausea, dolore cardialgico, et vomituritionibus conquestus est, mox succedente ipso vomitu sanguinis aterrimi et grauissime olentis, et diarrhoea eiusdem prorsus indolis. Quae cum frequentius redirent, frequenter quoque animus deliquit, et arteriarum pulsus adeo est depressus, ut digito vix percipi posset. Altero die post aeger satis cessit suis. In dissecto cadavere ventriculus adhuc cum intestinorum canale eadem nigra, spissa, et foetente colluie impletusprehendebatur; lien vero cum ventriculo erat coalitus, texturamque habebat ab ichore fere resolutam; in ventriculi fundo hiabat fordidum vlcus.

§. XVII.

Sed haec de symptomatice morbi nigri indole causisque sint satis. *Idiopathici* vero princeps causa in congestione et stagnatione eius sanguinis consistit, qui ventriculi et intestinorum vasa perreptat.

§. XVIII.

Verum enim vero his ipsis congestionibus stagnationibusque oriundis variae multiplicesque causae

causae ansam dare possunt. Ex *Hoffmannianis* et *Kaempferianis* observationibus luculenter constitit, morbum nigrum successisse febribus intermittentibus, quae aut mala et peruersa medendi methodo erant tractatae; aut praepostero intempestiuoque corticis Chinae usu attentatae antea, quam obstructions viscerum essent solutae, febrilisque materies eliminata. Has inter causas porro referas catameniorum suppressionem: siue acciderit per naturalem aetatis rationem, siue vi spasmodum, vterina vasa constringentium. Haud dispar est ratio profluvii haemorrhoidalis suppressi. In utroque negotio, si restagnans et coercitus sanguis tandem per consentientia ventriculi et intestinorum vasa perumpit; oritur niger morbus: quem, his ex causis natum, eximie et, ut solet, graphice sub nomine *congestionum*, *infarctuum*, et *obstructionum abdominalium* descripsit illustris KAEMPFIVS. Nec minus docte atque concinne eundem morbum, siue externa spectes phaenomena, siue interna, aegri querelis cognoscenda, exposuit celeberrimus TISSOT: Quodsi dicens d), sine sarcina ventriculi, sine vlllo genere obstructionum, sine bilis vitio, sine exquisita neruorum tenacitate, sine diaetae erroribus, sine flatulentia, graues premunt dolores, ventriculi praesertim, locum tamen aliquoties mutant, renes plerumque, immo saepe totam spinam dorsi, in consensum trahentes, post pastum crescentes, mire inprimis exacerbantes

post

*) In *Epistolis medico-practicis*; pag. 118. seq. edit. Lausannens. 1770.

post alimenta aut potulenta, quae calefaciunt cum inaequali appetitu, remissionibus et exacerbationibus sine apparenti causa, sensu caloris interni, incremento dolorum post purgationes, macilentia, decoloratione, debilitate, frequenti sensu deliquii minantis, vix de infarctu vasorum ventriculi et intestinorum dubitandum est. Haec autem firmabitur opinio, si supra exposita symptomata antecesserunt.

§. XIX.

Diu autem stagnationes congestionesque sanguinis in ventriculi et intestinorum canalibus consistere possunt: donec aut a nimia expansione, per stagnantem sanguinem effecta, rumpuntur vasa, coactusque cruor quaquaersum effunditur; aut alia qualiscunque superuenit causa actuosa, hanc canalium diaeresin producat. Quae posterior causa diuersi omnino esse potest generis. Mox enim subnata intus acris quaedam materies, mox adsumtum forte efficax catharticum, intestinalem tubum grauius irritat, illucque humorum adfluxum incitat, disruptionemque promouet. Mox quaelibet animi adfectio, praesertim terror, moto per suos canales sanguini incitamentum addit; mox insensibilis perspiratio suppressa, aut febrilis accessio, externam corporis superficiem vniuersam spasmo coërcet, et singulari algore constringit, adeoque circumeuntem sanguinem interiora vasa versus propellit, eademque hinc distenta ad disruptionem prona reddit. Atque sic latens uorbus niger, in apertum mutatus, in scenam prodit.

§. XX.

§. XX.

Vtut autem hae omnes sat graues idiopathici huius morbi sint causae, quae, dum idem prorumpit, vehementibus suis effectibus minantibusque symptomatibus medicum omnino haud mediocriter terrere possunt: tamen, vt suo adseruimus loco (§. XII.), bona et laetabilis plerumque prognosis statuenda est; quod eidem felicitis euentus experientia locupletissimam fidem fecit.

§. XXI.

Sed progredimus nunc ad definiendam medendi methodum, vtrique huius morbi generi opportunam. Maxime autem difficilis atque spinosa est haec, quae *symptomato* huic morbo quomodo-
cunque conuenire videtur. Quoniam enim ex iis, quae supra diximus (§. XIII. *seq.*) liquido apparet, huiusce morbi ortum et progressum ita esse comparatum, vt post inueteratas diuque latentes obstructions aut qualemcunque metastasin sanguis putridus et male olens expellatur, inter summam tamen virium iacturam ancepsque vitae discrimen: sequitur profecto, vt medentis sit officium, vitalis indicationis praecipuam habere curam; quo saltem vrgens vitae periculum procrastinetur, licet verae eiusdem morbi causae, quippe sua natura insanabiles, perfecte tolli non possint. Hoc consilio *tria* potissimum moliri oportet medicum: *primo* vt nigrum foetidumque sanguinem expellat; *tum* rupta vascula denuo consolidet, nouumque sanguinis profluuium coërceat, viresque *denique* vitales conseruet. Vt
C 2 ergo

ergo *primae* indicationi satis fiat, euacuantibus omnino opus est. Antiquissimis temporibus iam HIPPOCRATES purgantium usum commendauit: quae, pro istorum temporum more, certe non lenissimi fuerunt generis. Contra HOFFMANNVS longe rectius clysterum applicationem ordinauit, eorundemque salutare effectus sua experientia confirmauit TISSOTVS. Quotusquisque uero non perspicit, ex emollientium, non irritantium, classe haec clysmata seligi oportere. *Secundae* porro indicationi opportuna sunt remedia, sanguinis profluuium coërcentia. Quanquam in hoc remediorum genere ipsa venae sectio primas tenet partes: eadem tamen ob summam, quam morbus iam intulit, neruorum imbecillitatem, et ob plethorae absentiam, locum neutiquam habet. Proinde HOFFMANNVS emulsiões nitrosas, in aliis quoque haemorrhagiis temperandis non infructuosas, commendauit: quocum etiam consentit TISSOTVS, hac tamen lege, ut easdem satis frequenter, refractis uero dosibus, bibant aegroti. Si quid ego uero recte iudico, haec inter remedia omnibus palmam praeripit usus acidi vitriolici internus: quod satis iam inter omnes cognitam uirtutem antisepticam possidet, adeoque quemcunque motum intestinum, siue fermentescentem vocaueris, siue putrescentem, corruptae istius materiae, in intestinorum canali nidulantis, coërcet et temperat, uehementiorique humorum animalium circuitui modum ponit, simulque vasorum oscula parietesque blanda roborat constrictione. Cuius acidi ut sufficiens et larga copia ab aegroto

groto adsumi possit, commodissima erit emulsionis spuriae, ope gummi arabici confectae, forma. Extrinsecus vero applicari opportune possunt fofus, ex aqua frigida et vini aceto parati. Sedato dein nonnihil nigri sanguinis effluvio, et restauratis quodammodo viribus, infusum detur pulpae tamarindorum, eliminando, qui in intestinis superest, coacto cruori aptum, continuatis inter haec, quos diximus modo, externis fofibus acetosis. *Tertiae* denique indicationis gratia, satis bene commodeque reparabit vires cortex peruuianus, quacunq; in forma datus. Si quis ergo eo felicitatis genere vsus fuerit, quod ex rarissimis iudicari solet, vt symptomatico morbo nigro medelam adferret, plerumque omnes medentium curas praemeditatosque conatus fallentem: tunc profecto eundem omnes animi cogitationes eo intendere oportet, vt eiusdem mali radices quasi succidat, ipsumque morbum primarium tollat, qui nigrum morbum, tanquam comitem, in scenam praemisit.

§. XXII.

Paulo alia morbo nigro *idiopathico* medendi est ratio, licet etiam *tribus* indicationibus absoluat. Hae nimirum eo redeunt: vt *primo* ventriculi et intestinorum vascula repleta et turgida expediantur; *postea causa*, mox in ipso tubo alimentario haerens, mox in aliis corporis humani locis latens, quae congestionem et collectionem hanc sanguinis efficit, remoueat; *tandemque* vt aperta et expedita vascula denuo in naturalem osculorum suorum dia-

diametrum reducantur et pristino robore firmentur. Inter *primae* indicationi inferuentia auxilia primo nominari merentur loco artificiales sanguinis euacuationes: praesertim si plethorae praesentiam artierum pulsus plenus, simulque haud raro durus, declaret. Interim fieri interdum solet, vt, delitescentibus intestinorum inflammationibus, idem pulsus paruus deprehendatur debilisque: qui ideo, nisi simul aegrotantium vires nimium sint fractae, medicos ab instituenda sanguinis euacuatione ne deterreat, optime per applicatas intestino recto hirudines absoluenda; quoniam hic posita haemorrhoidalia vasa cum omnibus ventriculi et intestinorum vasculis propius arctiusque consentiunt, eoque promptius posteriora haec congesto sanguine liberant. Immo, sicut celeberrimus HOME suis obseruationibus et experimentis confirmauit, haud infructuose huiusmodi sanguineae euacuationes repetuntur, nisi magnae infirmitates animique defectiones obstant.

§. XXIII.

Secundae vero indicationis absoluendae varia est ratio, prout varia caussarum est sedes indolesque. Si igitur cruda saburra primas obsideat irritetque vias, eliminator. Eius praesentis testes sunt peruersus nauseosusque sapor, lingua impura, et vomendi procliuitas. Facile intelligi potest, aegri conditionem hanc remediorum drasticonum vsum non esse admissuram. Nihilo minus, si acris materies in ventriculo velut superiora versus turgescit et vomituritiones ciet, emeticum concedi potest: quod

quod alioquin eadem saburra, laxantium ope per integrum, quam longus est, intestinorum canalem traducta, multum irritamenti, noua mala excitaturi, ibidem facile relinquere posset. Quodsi vero emesis non indicatur, consultius est, crudam acremque coluuiem clysterum et laxantium antiphlogisticorum ope ex inferiori via eiicere: e quibus remediis commendatissima esse volumus tamarindinata. Ab omnibus vero his, si clysmata exceperis, abstineto: quotiescumque spastici aut conuulsiui motus in quacunque abdominis parte, immo in ipsis intestinis aut ventriculo, regnant, nigrumque efficiunt morbum. Tunc enim emulsiones temperantès dari, et, quae emolliunt extrinsecus intrinsecusque, adhiberi, praestat. Caue etiam tibi ab opiatis: coërcent enim nigrorum acriumque excrementorum, quem natura molitur, exitum, ipsorumque adeo putridam augent corruptionem. Sed ex horum numero excipi poterit, ob lenientem simulque catharticam virtutem, ricini oleum, satis nota dosi datum. Neque rhei culpaturus essem usum, si modica simul adesset febris mediocrisque intestinorum dolor.

§. XXIV.

Tertiae denique indicationis duplex est scopus (§. XXII.). Ad nouam distentorum et apertorum vasculorum sanguiferorum constrictionem percurandam, sanguinisque profusionem coërcendam, celeberrimus FRIDERICVS HOFFMANNVS pedum ligaturas commendat, si, vigente nigro morbo, pluri-

plurimum sanguinis iam est amissum. Tameſſi vero neutiſquam inticiamur, ab his deligationibus redeuntis ab inferioribus ad ſuperiora ſanguinis velocitatem retardari, adeoque vehementiores humorum motus generatim imminui: parum tamen emolumenti hoc in morbo exinde exſpectari poteſt, cum tantum abſit, vt nimius humorum orgaſmus hic plerumque obſeruetur; vt potius ob ſummam debilitatem motricium fibrarum debilis quoque eorundem ſit circuitus. Vnde etiam, ad frigidas huiusmodi aegrotantium partes leniter tepefaciendas, illuſtris TISSOTVS calidis fomentationibus peropportune vſus eſt. Porro idem, quem honorifice nominauimus, HOFFMANNVS, eiusdem finis cauſſa, aegrotos frigidis vt iubet pediluuiis, ratus: quod ab his omnium ſolidarum corporis humani partium conſtrictio efficitur, ipſa quoque minora iſta inteſtinorum vaſcula, quae atri iſtius ſanguinis ſunt fontes, conſtrictum iri. Verum enim vero ſi conſideremus, ab huiusmodi pediluuiorum algore totum, quam late patet, vaſorum ſyſtema, maxime vero in infimis, quibus applicantur, artubus, in validam irritari conſtrictionem: praeualitura proſecto eſt haec inferiorum vaſorum vis, in contractionem incitata, iſti vi contractili, quae in debilitatis ab expansione vaſculis inteſtinalibus ſuperreſt, et adeo ſanguineum profluuium magis auctura eſt, quam imminutura. Si quid vero vtilitatis ab aquae frigidae applicatione vnquam hoc in morbo exſpectari poſſet, certe illud clyſteres frigidi et fomenta eiusdem generis, abdomini applicata, promittunt: quoniam hac ratione

vis

vis frigidae aquae aut ipsis laxatis vasculis, aut saltem proximis, applicatur. Ceterum et hic optimus, ex nostra sententia, erit vsus internus acidi vitriolici, et externus fomentationum acetosarum, si methodo prorsus eadem, quam supra descripsimus (§. XXI), admittatur.

§. XXV.

Alter huius indicationis scopus (§. XXII.) obtinetur vsu subamarantium et leniter adstringentium medicamentorum: ex quibus etiam praestantissimus erit peruvianus cortex, inprimis aqua decoctus aut infusus. Dietae et regiminis rationes sint antiphlogisticae: alimenta mucilaginosa et refrigerantia, conclavia temperata, lecti non tepesfacti, abstinencia ab animi adfectibus, et cetera. Eadem haec dispositos quoque a recurſu huius morbi praeservant; inprimis si *Kaempſianorum* clysterum visceralium vsus coniungatur.



ORNATISSIMO

C A N D I D A T O

P R A E S E S.

Cur nauseosis, quae TVA sola sunt,

Pungam lituris, et mea cur TVIS

Addam, IACOBSON; qui TVomet

Ingenio sapere haud vereris?

Perbelle censes: esse aliquid, tenus

Prodire, quodsi pergere non licet

Ultra. Nec in magno labore

Dedecus est, voluisse tantum.



01 A 6631

ULB Halle 3
002 934 922



56







DE
MORBO NIGRO
HIPPOCRATIS



PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. SEPTEMBRIS MDCCLXXXVI.
SVMMOS DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBlice DISSERET

AVCTOR

IOSEPHVS MARCVS IACOBSON,

BEROLINAS MARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.